

III.

NEOVIDENSIS

Nro 40. (Neovidensis Nro 63.)

Qui

*jam lucentia nigri flumina cocyti superarunt,
salutant Savi, et Dravi accolas sermone
politico de calamitatibus mundi.*

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 17. Aug. 1804. (Neov. 3. Aug)

Textus:

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore,
repletur multis miseriis.

Job.

Si cui contingat, ut assideat mensæ exquisitis
epulis instructæ, adsit præterea generosum
vinum, habeatque stomachum, qui calore
suo etiam ostrea concoquat, io! exclamat,
hæc est vita, hic mundus est optatissimus,
quid ergo obtundit aures Jobus suis mi-
seriis? Sed repente obruant hominem dentium
dolores, invadant tormina, corripiat catar-
rhus; o calamitas! o Jobe! o nefasta dies!
Homo natus de muliere, brevi vivens tempore,
repletur multis miseriis?

Legi quondam librum a Fontenellio de
pluralitate mundorum scriptum, incessit me
cupido pro aliquo tempore commigrandi in lu-
nam, jamque modum eo perveniendi quære-

bam meditabundus; at indormivi, & sequens
 species mihi in somno oblata est: videre mihi
 videbar Jobum ante me stantem, exhibentem
 lunam, atque in hunc modum me alloquentem:
 Homo! ego te transferam in lunam, nasceris
 ibi de muliere, quin scias quomodo, & quare.
 Involveris fasciis, sed eas lachrymis rigabis.
 Emittes dentes, verum ingens vis morbi te
 adoriatur; incidet in variolas, quæ acrem do-
 loris sensum parient. Disces incedere, & cen-
 ties terræ allideris. Quamprimum sciveris am-
 bulare, affligeris studendo. Adolesces, oc-
 cupabunt te affectus, quos nisi domueris,
 turpes te excruciant infirmitates. Informa-
 beris, ut possis labore, & vigiliis honestam
 procurare vitæ sustentationem, si fortuna tibi
 ubique præsto fuerit, hoc multi iniquo ferent
 animo, si autem tibi nihil ex sententia suc-
 cesserit, vix tangentur commiseratione. Forte
 demum fies Pater, omnes tuæ proles non in-
 sistent paternis vestigiis, quod te mœrore
 conficiet. Sæpius conflictaberis cum variis
 morbis, opprimet te tussis, Rheumatismus,
 dentium, & capitis dolores, febris, & aliæ id-
 genus ærumnæ, quæ acerbam reddent lucis
 hujus usuram. Denique superveniet Revo-
 lutio, bellum, emigrandi necessitas, solutio
 tributorum, variæque capitum, atque ostio-
 rum exactiones, fortasse tibi etiam oppugna-
 tio sustinenda erit, aut perturbatio rei fami-
 liaris, & plures similes quotidiani eventus.
 Inter has miserias animus ægritudine, & cu-
 ris contabescet. Et si in his tua patientia ob-

duruerit, tentaberis febricula, quæ ingravescet, adhibenda erunt medicamenta, & ut ajunt, esculenta, & poculenta procuranda ex latina culina, sed vires paulatim defluent, immo fractæ fatiscunt, & tandem vi morbi extingueris. O mortalis! edissere, estne tibi fixum cum hac certitudine calamitatum proficisci in Lunam? Expendi omnia diligenter, & candide sum fassus, me nolle in Luna habere domicilium.

Dilecti amici! Hoc somnium nobis in memoriam revocat calamitates hujus vitæ. In hunc mundum prius sumus missi, quam interrogaremur, an ire libeat; venimus autem, quin nobis constiterit quomodo, & qua de causa. Cur non erant nobiscum ante communicata scripta, & facta Jobi? Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. O veritatem! o experientiam! o tristem expectationem!

Circumeunti cæmeterium occurrit caput mortui, apprehendo illud manibus, o quanta recordatio subit animum veritatum Jobianarum! Hoc os! quam multas delicatas dapes abligurivit, quam multa generosi vini pocula exsiccavit? Hi oculi! quanta venustate, quibus monumentis, quibus scriptis, quibus spectaculis, quibus comædiis, & societatibus se oblectabant? Hæ aures! Quæ idiomata, quas amœnitates, quos concentus musicos exceptere? Hic nasus! quanta odorum suavitate, quam diversa herba nicotiana, quibus sufficientis saginabatur? Istud occiput, ubi situm

erat cerebrum! quanta ibi scientiarum abundantia latebat recondita? forte venerabamur in illo Helvetium, aut Nevtonum, vel alium aliquem magni nominis Philosophum, forsan illud quondam miser homo ferebat? quid si fuit caput Liberatoris Patriæ? Projeci illud abs me, & retrusi pede, volvebatur in orbem, idem eventurum mihi non dubito. O vanitas vanitatum! Sic impendent undique mala capitibus nostris. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.

Quid, nullum nobis imminet malum? calamitatum plena sunt omnia. Nihil est, quod infelicibus careret mutationibus. Jus proprietatis sunt nugæ, hodie ex ditissimo potes fieri pauperrimus Jobus. Cuncta bona, & fortunæ vacillant, omnia inde ab ærario publico Anglorum usque ad privatum pauperum institutum claudicant. Celsissima Galliæ Dux, ut possit vivere, texit tibialia, Belisarius hodie agit triumphum, cras ostiatim stipem colligit, clamando: date obulum Belisario. Heu! Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.

Ubi est Panglossius, qui hunc mundum ut optimum prædicabat? ubi hujus sæculi illuminati, qui meras felicitates, mera mulsa propinabant? Ubi illi eruditi, qui gloriæ sibi duxerunt nos abducere a religione Christiana? Ubi delitescunt beatitudinis fabricatores, qui novum, eumque feliciorum rerum omnium decursum, atque aureos montes polliciti sunt? Hic humanus intellectus hæret, seque delusum

mira
phun
temp

varu
viter

eana
conje
Galle

ni p
orbi

nefic
Nova

exce
rum

exere
nico

in ut
Magi

Quoc
surp

nulla
poste

vent
impo

inveh
consi

de v
gaud

aus,
tumq

miratur, Philosophia enim Jobi canit triumphum : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.

Quanta calamitas in omnibus rerum novarum commentariis ! Juvat tantum aliqua breviter in medium adducere.

Londino de 20-ma Julii. Nova Anglicana *Times* nuncupata, palam faciunt suam conjecturam, adesse tempus, quo excensio Gallorum tentabitur, precanturque suæ nationi prosperum successum. Nimirum volunt orbi persuadere, invasionem hanc Anglis beneficium allaturam : Nam officiosa Anglica Nova aperte dicunt, conatum Gallorum, ut excensionem faciant in Anglia, effectu cariturum, & etiamsi res exitum haberet optatum, exercitum tamen Gallicum in territorio Britanico internecone delendum esse, atque adeo in utroque casu nil amplius futurum, quod Magna Britannia a continente metuere posset : Quod aliis verbis idem significat : Nisi Gallia usurpationibus Anglorum frœnum injiciat, nulla alia natio par sit resistendo, seu : Imposterum omnes gentes id pretium rerum solvent, quod Londini gubernium Anglicanum imposuerit mercibus, quas pro arbitrio suo invehi, & evehi curat. Profecto sub hac consideratione reliquæ continentis potentix de victoria Anglorum non possent multum gaudere, ex hac enim earum abjectio, despectus, & paupertas sequeretur.

Verum, quod felix, faustum, fortunatumque sit, Britannici Ephemèridum scri-

ptores voti sui tam splendidi haud damnabuntur. Ponamus enim casum, ut excensio tentetur, & succedat, quis erit tunc status populi, qui ex negotiatione tantum vivit, & industria? Pecunia extrahetur ex commercio, Fabricæ, & Manufacturæ, quæ alioquin numero hominum non abundant, privabuntur operariis, ut possint cum exercitu hostili dimicare. Nolumus hic loci in quæstionem vocare, qualem renisum possit præstare multitudo inexercitatorum, qui, uti de mulieribus Spartanis ante pugnam ad Leuctram commissam dici solebat, ne fumum quidem viderunt castrorum hostilium.

Imo concedimus liberaliter, ut hæc hominum copia victoriam reportet de exercitu, qui contemptis periculis tantummodo vincere assuevit, qui animo est intrepido, & fiducia in belliducibus collocata nullas novit difficultates; ergone talis triumphus nullo stabit pretio Angliæ? Certe, si etiam deleverit copias Gallicas, ipsa & homines amittet, & pecunias, nec liberabitur omni periculo: Gallia enim redigetur ad eum statum, in quo erat, dum hanc appararet expeditionem, & intra spatium duorum annorum æque formidabiles instruet apparatus, eritque eodem modo ad excendendum parata. Post decem annos maritima Galliæ potentia nimium quantum augebitur, & res æraria crescet in immensum. Poteritne idem de se dicere Angliæ, quæ perpetuis exponitur periculis, semper in violento versatur belli statu, cujus res æra-

ria
stes
Non
evit
aute
con
trim
con

testa
anno
caru
tribu
bus
tame
Libr

se sp
tum
suma
sapi
poter
ejus
neces
non
maris
um r
bus
omni
calcu
in pr
tuetu
natio

ria exhausta est, civesque ad excipiendos hostes in oris maritimis excubare coguntur? Non eritne, quæso, diuturni hujus status inevitabilis sequela, eversio ærarii publici? Jam autem quam terribiles inde nascentur rerum conversiones in Regno, in quo omnium patrimonium quodammodo cum publico ærario connexum est?

Publica, & minime dubia documenta testantur, Magnæ Britanniæ expensas hoc anno efficere 77,846,179 Librarum Sterlingicarum. Ut hæc summa colligeretur, varia tributa, & exactiones inductæ sunt, ex quibus redierunt 76,073,950 Libr. Sterl. Hinc tamen manifestum est, deesse adhuc 1,772,249 Libr. Sterl.

Scriptores novorum in Anglia adhuc dum se spe lactant, fore, ut, si expeditio in irritum caderet, omnes continentis populi arma sumant contra Gallos; sed propositio hæc sapit audaciam; nam tametsi crescens Galliæ potentia urat animos nonnullarum gentium, ejus tamen imperii amplitudo, cui in casu necessitatis etiam limites liceret ponere, illis non potest esse magis odiosa, atque insolens maris Despotismus Britannorum, qui omnium nationum jura convellit, omnibus gentibus suas leges obtrudit, restringit industriam omnium provinciarum, eam enim suo subjicit calculo. Quis iverit inficias, a Gallia, dum in præsentiarum privatam rem contra Anglos tuetur, una communem omnium continentis nationum causam propugnari? Gallia nume-

rat etiam in terra firma amicos, & quidem minimum tot, quot habere potest inimicos; & quid tandem una gens contra Galliam proficeret, quamdiu illa pacifica manet, sua potentia non abutitur, neque suo arbitratu agendo, neque oppressionibus Europam in se concitat, et non extorquet contra se præpostera fœdera, quæ sine ejus violentia nec existerent unquam?

N u n c i u m.

Apud Josephum Eggenberger, & Stephanum Kiss Bibliopolas Pestini prostat Liber venalis sub titulo: *Tractatus Criticus de Electricitate, et aliquibus Physicæ capitibus. Conscriptus a Ladisl. Jeszenszky de Nagy-Jeszén. Colocæ 1804. 8-vo 30 xr.*

Tractatus hic complectitur *Capite I.* Electricitatem Theoreticam, in quo refutatis veteribus de Electricitate opinionibus, succincta Theoria Electricitatis, novissimis fulta experimentis, exhibetur. *Cap. II.* de Electricitate practica agit, & constructionem simplicium una, & præstantissimarum Machinarum Electricarum tradit. *Cap. III.* eversa Newtoni de Coloribus Theoria, colores corporibus innatos esse comprobatur. *Cap. IV.* Vim centrifugam evertit. *Cap. V.* Vim inertię in sensu Physicorum refutat. *Cap. denique VI.* aërem etiam homogeneum sonos diversos eodem tempore propagare, adversus Physicorum diversas heterogenas particulas, diversis sonis devehendis aptas aëri inesse, adstruentium, sententiã demonstrat.